

audiunt, intueri coguntur, nec avertere a miseris cogitationem sinunt. Quare etsi multarum rerum desiderio te angere necesse est, tamen illo dolore, quo maxime te confici audio, quod Romae non sis, animum tuum libera. Etsi enim cum magna molestia tuos tuaque desideras, tamen illa quidem, quae requiris, suum statum tenent, nec melius, si tu adesses, tenerent; nec sunt ullo in proprio periculo: nec debes tu, cum de tuis cogitas, aut praecipuam aliquam fortunam postulare, aut communem recusare. De te autem ipso, Torquate, est tuum sic agitare animo, ut non adhibeas in consilium cogitationum tuarum desperationem, aut timorem. Nec enim is, qui in te adhuc injustior, quam tua dignitas postulabat, fuit, non magna signa dedit animi erga te mitigati; nec tamen is ipse, a quo salus petitur, habet explicatam aut exploratam rationem salutis suae. Cumque omnium bellorum exitus incerti sint, ab altera victoria tibi periculum nullum esse perspicio, quod quidem sejunctum sit ab omnium interitu; ab altera te ipsum nunquam timuisse certo scio. Reliquum est, ut te id ipsum, quod ego quasi consolationis loco pono, maxime excruciet, commune periculum reipublicae: cujus tanti mali, quamvis docti viri multa dicant, tamen vereor, ne consolatio ulla possit vera reperiri praeter illam, quae tanta est, quantum in cujusque animo roboris est atque nervorum. Si enim bene sentire, recteque facere satis est ad bene beateque vivendum, vereor, ne eum, qui se optimorum consiliorum conscientia sustentare possit, miserum esse nefas sit dicere. Nec enim nos arbitror victoriae praemiis ductos patriam olim, et liberos, et fortunas reliquisse; sed quoddam nobis officium justum et pium, et debitum reipublicae nostraeque dignitati videbamur sequi: nec cum id faciebamus, tam eramus amentes, ut explorata nobis esset victoria. Quare si id evenit, quod ingredientibus nobis in causam propositum fuit, accidere posse: non debemus ita cadere animis, quasi aliquid evenerit, quod fieri posse